

† Adm. R. P. Gregorius M.^a Roldán (1881-1935)

(*Vice-Prov. Mex.*)



R. P. Roldán, cuius hoc necrologio vitam adumbrabimus, illis adscribebatur Vice-Provinciae Mexicanae regionibus, quae sub Americae Centralis nomine concluduntur. In eodem gloriabatur se natum fuisse provinciae Navarra oppidulo, *Cárca* nuncupato, quo vita iam functus cl. theologus Marín Sola, O. P., cui firma necessitudine confrater noster nectebatur. Die 17 Novembris a. 1881 primum lumen aspexit parentibus ortus vere christianis, officina calcei cannabini suendi et vendendi constrictis.

Duodecimum fere aetatis suae annum agebat pusillus opifex, cum ex missione Alfonsiana in pago finitimo habita viam dignovit vocationis suae, quam die 17 Septembris a. 1893, aliis stipatus 17 eiusdem provinciae puerulis, alacriter amplexus est. Ex quo iuvenatus Spinensis limina attigit,

Congregationi nostrae amore plane singulari adhaesit, atque tali amore et Beatae Virginis perpetuo succurrentis tutamine suffultus non levis — sic ipse enarrabit in vitae suae curriculo — difficultates superavit, stadio praesertim humaniorum litterarum, quo 1370 recitavit uno anno Beatae Virgini Perdolenti coronas ad perseverantiam in via Domini obtinendam. Superiorum ac Lectorum existimationem et benevolentiam illi fuisse inde elucet, quod duos fere annos totius Collegii decanus constitutus est, et quod posthac ubicumque gentium seriam portendet sive in lingua vernacula, Latina, Gallica, Graeca instructionem, sive in musica et cantu et calligraphia peritiam.

Sexennium studiorum gymnasialium feliciter emensus, Navae Regis Ligoriana veste a R. P. Chavatte die 24 Septembris a. 1899 induitur, ibidemque, eodem sequentis anni die recurrente, professionem emisit, in hunc modum dein effatus: « Redemptorista! Nullum comperi in terrarum orbe cognomen, etiam omnium clarissimum, quod tanto gaudio cor meum satur efficiat. *Funes ceciderunt mihi in praeclaris* ». En itaque Confratris adulta « passio », qua donec vivet, nihil profecto altius in eius corde atque operibus insidebit. Quod enim studiorum superiorum annis voluit scientiae culmen conscendere, voto etiam addito, etsi a Superioribus minime accepto, temporis iacturam fugiendi, illud non nisi Congregationis intuitu insequeretur atque erga Sanctum Alfonso filiali veneratione. « Nostratum omnium — sic ipse in suis propositis — evadere velim longe doctissimus in perscrutandis rebus gestis virisque illustribus noscendis familiae nostrae. Nihil auribus meis suavius quam si Patrem Alfonso dicentem audirem: Macte virtute, genuinus es filius meus ».

Quibus inventutis ardoribus nequaquam obstiterunt Superiores; etenim sacerdotio die 23 Decembris a. 1905 ornatus, Spinum mittitur P. Roldán humaniorum litterarum pro cursu 1906-1907 magister creatus; deinde vero, post brevem Matrivi commorationem, ineunte a. 1908 in studentatum vocatur, ad cathedram theologiae dogmaticae per quinque fere annos evehctus. Prius vero, quam hoc onus susciperet, laboris ipse miseratus atque incommodi ex libri apti inopia manantis, tempore vacationum aestivo decerpsit atque transcripsit volumen magnum, cui nomen *Cantica Sacra*, in quo mira arte manu propria conscripsit ac lithographice multiplicavit plus quam 450 cantica ex auctoribus classicis et recentibus pulcherrima. Alium etiam confecit in lingua vernacula canticorum libellum *Canticos Píadosos* inscriptum preloque mandavit, debitum servans in eo honoris locum piis S. P. N. Alfonsi melodiis. Utrumque canticorum volumen fere usque in praesens apud nos usu venit.

Quas musici et theologi partes dum exsequitur, chronistam etiam localem egit Asturicae, et diligentia quidem maxima. Quare inde ab

anno 1912 Matriti et Conchae chronicis Provinciae praeficitur eisque absolvendis iterum a. 1920 addicitur. Neque in cassum viro huic navo et industriae res gestas Provinciae conscribere mandatum est, quippe ab anno primae foundationis Hispanicae (1863) usque ad primum annum eiusdem vitae independentis (1901) historiae telam contexit. Illius tamen scriptum nimis nonnullis prolixum visum est; eius praeterea opiniones quaedam, licet veritati historicae valde forte consentaneae, cum aliorum iudicium sententiis parum cohaerebant; quam ob rem opus Patris Roldán sudore conspersum in lucem editum est tribus fasciculis aliena manu recensis et notabiliter tum stilo tum re immutatis ¹.

Anno 1915 Provinciae Procurator atque a. 1918 Rector simul et Director eligitur domus secundi iuvenatus a. 1915 Conchae instituti. Novus nunc campus patebat ad suum pro Instituto zelum demonstrandum. Et sane quidem universi, qui in iuvenatu ipso moderatore tanquam matre suavissima gavisus sumus, certe memoria tenemus illius pro nostro intellectuali progressu ardorem, at praesertim cor eius ingens recordamur, interdum forte nimis ingenuum, omnes ac singulos alumnos complectens, potissimum vero nobis spirans singularem suam erga Alfonsum eiusque Institutum dilectionem; in conferentiis namque, in colloquiis privatis, in publicis lectionibus neminem nisi Patrem nostrum et Congregationem eloquebatur. In linguam ipse vernaculam transverterat postremam operis Patris Berthe partem eamque publice legendam atque addiscendam iuvenistis committebat inquiring: « Pater vester secundum sanguinem si tantus heros esset, gaudenter ei honores deferretis eiusque facta nosceretis ». Pari modo, futuros Redemptoris missionarios in adolescentibus intuens, ei maxime erat cordi etiam rerum materialium cura: puta vestitus, cibi, valetudinis, nunquam sumptibus parcens, quo in melius omnia progredierentur. Nihil itaque mirum quod, haerentibus diu in ancipiti Superiorum opinionibus de servando aut exstinguendo iuvenatu Conchensi et tandem in eiusdem suppressionem, ob rationes praesertim oeconomicas et locales, inclinantibus, sat aegre huic decisioni acquievit Pater Roldán, desiderio unice actus multiplicandi in novitiatum candidatos, qui nascentibus nostris Vice-Provinciis subvenire possent.

Matritum igitur a. 1920 redux, toto mentis ardore sese accinxit sive sacris in ecclesia ministeriis obeundis, sive chronicis provincialibus absolvendis et Operi stimulando Conservationis et Propagationis Fidei in Hispania ², cuius reassumpsit directionem generalem, quam annis 1916-1918

¹ *Annales Prov. Hisp.* Tres fasciculi, anno 1925, 1927 et 1928.

² Videtis circa hoc sodalicium *Analecta* I, 246-252. Auctor huius dissertationis fuit, ni fallimur, ipse Pater Roldán, qui tunc consociationi praeeerat sub directione suprema Pl. R. P. Provincialis. Cfr. etiam ib. XII (1933), 146-182.

iam tenuerat. Opem quoque suam foliis nostris *El Perpetuo Socorro* hoc tempore contulit, enucleato dicendi genere ea speciatim populo enarrans, quae dulces Congregationis nostrae cum Beata Virgine relationes praedicant.

Tum vero a. 1924 Pampilonam contendit ibique sex annos moratur, spiritualibus domi deditus laboribus Operique Defensionis Fidei in regione Navarrensi propagando, foris quoque missionibus incumbens. Etsi enim longo 25 annorum intervallo magisterii vel calami negotiis imprimis occupabatur, nullo tamen pacto omiserat excursus missionarios. Minimorum ille fidus exactor in suis scriptis adnotat se ab anno 1913 ad 1924 in laboribus apostolicis plus quam 44 545 klm. itineris fecisse. Postremo autem hoc, quod in Hispania degit, sexennio magno zelo et intentiore activitate missionibus operam navavit.

Interea Provinciae Hispanicae concredita Missio Sinensis insperatum occasum lugebat egregii sui missionarii, Patris Velasco ¹. Superiori autem Provinciali a suis subditis quaerenti, quinam sponte offerrentur ad hanc animarum messem longinquam colendam, praesto adfuit generosa et ultronea Patris Roldán responsio. Deus tamen, qui sincera tunc proficiscendi voluntate contentum se praebuit, eandem non multo post accepit, cum a. 1930 operosum hunc militem ducem constituit nostrae domus in urbe principe Sancti Salvatoris, Americae Centralis.

In primordiis adhuc haerebat fundatio. Nostri enim a. 1928 in hanc rempublicam advenerant et primum in urbe S. Michaelis constitere, donec mense Iulio 1929 castra sui apostolatus in caput reipublicae transvehere potuerunt. Pater igitur Roldán, huius vagientis domus designatus Superior, primae horae debet existimari operarius, diei et aestus onus usque ad mortem portans. Vicus urbis, ubi stat ecclesia nostra, *Candelaria* nomine gaudet et paupercula praesertim gente incolitur; quae tamen paulatim in fide sic confervescit ut, ubi ante nostrum adventum vix 1000 singulis annis distribuerentur communiones, nunc usque ad 40 000 quotannis numerentur. In religiosis ecclesiae sollemnitatibus veluti anima Superior erat, ad quem, paucis subditis extra domum occupatis, confessiones pertinebat excipere, in suggestum ascendere, cantica sacra organo et voce interpretari; ad haec religiosarum confessiones audire, exercitia spiritualia ecclesiasticis tradere, missionibus magnis et arduis interdum praeesse.

Brevi tempore inter sacerdotes doctrina, virtute et eloquentia in republica praestantiores coram populo et Episcopis eminebat, quorum benevolentiam in Congregationis commodum et honorem ipse referebat; et qua erat in Institutum devotione, de iuvenatu in America Centrali con-

¹ *Analecta* VII (1928), 291 sq. et 349-354.

dendo diu noctuque cogitabat, locum huic institutioni aptum quaerebat, instabat Superioribus Maioribus, pecuniam, quantam poterat, congregabat, etiam ope tesserarum postalium (*francobolli*), quam collectionem valde pretiosam invicta constantia ab anno 1911 usque ad mortem perficere satagit. Occasionem secundi ab orta Congregatione centenarii elabi non permisit quin tum verbis tum scriptis praeco tantae sollemnitatis fieret. In diario publico *El Tiempo* S. Alfonsi eiusque Instituti facta gloriosa laudibus extulit, universos provinciae ecclesiasticae Antistites, qui festis praeesent, accersivit, necnon cuiusvis religiosae Congregationis invitavit sodales. « Nullus sit — aiebat — adeo dissitus in republica angulus, quo nostri Instituti nomen non permanaverit ». Hoc ipsum alias saepe praestiterat foliis, libellis, imaginibus ubique diffundendis. Cum autem praedicatoribus extraneis contiones in centenario habitas vellet rependere, nullum sane munus invenit pretiosius quam S. Alfonsi biographiam recentiore ex magno opere Patris Berthe desumptam. Sategerat quoque ut, quod in bibliotheca spatium libris Alfonsianis tribui solet, id operum merito et copia prae omnibus esset ditissimum. Vix itaque dici potest, quanto perfunderetur gaudio, cum amicis et hospitibus in domum advenientibus « thesaurum » suum Redemptoristicum exhibebat, vel cum, variis difficultatibus superatis, tandem ei cernere licuit pulchram et diu expectatam S. Alfonsi statuam ex Hispania missam.

Iam vero nemo est quin intelligat missionarium hoc igne succensum exemplar virtutum effici debuisse. Vere eminebat ipse in traditionalibus nostris erga Eucharistiam et Beatam Virginem devotionibus. Universis confratribus patebat cor eius, in se ipso verum reddens effatum: « Omnis pinguis bonus ». Quasi familiae mater potius, quam ut communitatis Superior, quibusvis necessitatibus consulebat, ita ut Superiori Provinciali rescribere potuerit quidam missionarius: « Messis quidem multa, labor improbus, operarii pauci; at sub paterna dilectissimi Patris Roldán gubernatione dies agimus felices ». Eidem Provinciali ipse quondam scripsit: « Sumptus sat magnos facere oportuit, ut sodalium indigentis subvenirem. Volo enim animo sint contento in Congregatione. Deinde per se ipsi gaudentes laborem aggredientur ». In eundem finem, in Congregationem videlicet, collineabant cunctae eius hortationes, conferentiae, epistolae. Ex abundantia cordis os loquebatur.

Sed una fortasse deerat illius coronae gemma: crux Christi. Ferrea, qua in Hispania fruebatur, valetudo fulciebatur obesitate usque ad 120 kilogrammata ponderosa, ast minime indecora, utpote cum statura alta praecelleret Pater et recta membrorum conformatione. Verum iter per vastos Oceani tractus factum est ei adeo periculosum, ut paene ad mortem in insula Jamaica aegrotaverit, sollicita a Patribus Societatis Iesu curatus.

Nova caeli Americani temperies, ciborum diversitas, ingens quotidianus labor quasi veneno artus infecere chlorosi subdole iam affectos.

Labor praesertim. Ornatus quidem in publicum prodibat disertae eloquendi facultate; aliis tamen sive scholae sive calami in Hispania praepeditis obligationibus, nequaquam eam sibi comparaverat contionum scriptarum copiam, ex qua deinceps abunde posset haurire; seu potius tenax ipsius propositum cuncta, etiam minima, quae ad populum diceret scribendi et fere memoriter recitandi, deliberata voluntas honorem Congregationis rite tuendi, necessitas supplendi operariorum paucitatem, haec aliaque his similia in causa fuere cur vel exsomis robustam frangeret valetudinem, vel iam fractam reparare nequiret.

Anno 1933 in munere Rectoris confirmatus est; anno autem sequenti strictissimo medicorum « regimini » se debuit subiicere, quo 60 (!) kilogrammata pondo amisit. Sed iam tunc galenus in carnificem commutabatur. Translatus namque Pater Roldán in benigniores plagas reipublicae Costarricensis (*Alajuela, San José*), vergente in finem anno 1934 pergravem subiit operationem chirurgicam, qua novus ei canalís minerioris apertus est. Convalescere interdum videbatur, at frustra. Medicorum tractationes cum essent frequentissimae et molestae, diu in nosocomio urbis Sancti Ioseph, Fratrem nostro laico comite, ad tempus etiam apud Patres Dominicanos morabatur. Feria sexta in Parasceve a. 1935 adeo status missionarii ingravescebat, ut suam posset cum Redemptoris agonia coniungere. Nondum erat finis, sed longos adhuc menses, absque chlorophormo, quem cor non patiebatur, debuit chirurgos admittere qui carnem vivam suerent, secarent, dilacerarent. Semel quoque, iterum ac tertio sanguis a Patre Reymóndez extractus aegroto transfundebatur.

Martyrium diuturnum oratione levabat, pro Congregatione et animabus sustinebat. Rosarium integrum, coronas Immaculatae ad Septem Dolorum, Viam Crucis aliasque preces recitabat. Inter dolores suspirabat: « Misericordia, dilecte Iesu! Omnia propter tui amorem! Veni, Maria, mihi in auxilium! ». Specialissimo fervore novendiales SS. Redemptoris ac S. Alfonsi in lecto celebravit. Re autem vera magis de sumptibus a Congregatione faciendis quam de propriis angustiis dolebat; quare acutissimo iaculo perfossum est cor eius, cum summam 15 000 pesetarum cognovit medicis esse rependendam. « Tanti non valeo! » exclamavit. Sole clarior refulsit erga Congregationem dilectio. Desiderio flagrabat inter confratres moriendi; de S. Alfonso ac de eius Instituto, spiritu, traditionibus... cum Sororibus sermocinabatur; Patri cuidam e meditatione se avocanti respondit: « Conversatio mea cum Ven. Crostarosa erat, quae mihi multa et pulchra loquitur ».

Purgatorium dilecti confratris ad finem properabat. Ineunte mense Septembri postremis Ecclesiae sacramentis muniri et refici postulavit. « Vitam meam, inquit, pro sancta nostra Congregatione offero, pro animabus derelictis, pro secundo Capituli Generalis exitu ». Die 16 Septembris maxima pietate in Viaticum recepit Corpus Domini Iesu Christi, quod dein usque ad ultimum fere diem accepit. Tandem die 3 Octobris hora fere tertia p. m. ad caelum, ut speramus, evolavit, quod illis postremis diebus exoptarat, canticum suae vitae missionariae memorans :

*Madre querida, tu Perpetuo Socorro
Toda mi vida, yo quiero invocar,
Y en tus brazos al Cielo llegar.*

Ex nosocomio sub vesperum cadaver in nostram domum Alajuelensem transvehitur, et sequenti die, prima mensis feria sexta, sollemnes exequiae celebrantur adstantibus dioecesis Episcopo, clero numeroso ex dioecesibus Alajuelae et S. Ioseph, Patribus S. Dominici et Sororibus religiosis, necnon et copiosa populi multitudine. In capite autem reipublicae Sancti Salvatoris, ubi ad mortem usque Pater Roldán manserat nostrae domus Superior, praesentes aderant sacro funeri Exm̄us Archiepiscopus et fere universi e clero regulari et saeculari viri. Exm̄us in republica Nuntius Apostolicus telegramma sequens remisit: « Maximo affectus maerore ex obitu Patris Roldán, dignissimi ac zelantissimi missionarii Redemptoristae, meum dolorem Congregationi exhibeo, id peculiariter dolens me, serius de morte certiozem factum, non posse funeri assistere. CAROLUS CHIARLO, Nuntius ».

Hanc Confratris nostri vitam qui perspexerit, in memoriam poterit sententiam Spiritus Sancti revocare: *Et sicut qui thesaurizat, ita et qui honorificat matrem suam* (Eccli. 3, 5). Congregationem tamquam matrem dulcissimam missionarius iste honoravit, thesauros virtutum ac meritorum in eiusdem sinu congerens. Proinde potuit his verbis vale supremum confratribus significare: « Vobis, dilectissimi, vale non dico; sed usque modo, usque in caelum! ». Sic omnibus et singulis fiat Congregatis per intercessionem S. P. N. Alfonsi.